QUAESTIONES HERCULEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MYTHOLOGICA

SCRIPSIT

HERMANNUS HITZIG

phil. Dr.

HEIDELBERGAE
EX OFFICINA E. TENNER
MDCCCLXVI.

Οὐκ ἀγνοῶ ὅτι πολλὰ δύσχρηστα συμβαίνει τοῖς ἱστοροῦσι τὰς παλαιὰς μυθολογίας καὶ μάλιστα τὰς περὶ Ἡρακλέους.

Diod. S. IV, 8.

ADOLPHO PHILIPPI

philosophiae doctori

Amico suo

D. D. D.

Auctor.

Quum jam dudum nulla antiquitatis studiorum pars mentem animumquo meum magis in se conversum teneret quam quae versatur in indagandis rationibus Orientem inter et antiquissimam Graeciam intercedentibus, non dubitavi dissertationi quae dicitur inaugurali scribendae ex hoc potissimum quaestionum genere argumentum eligere. Herculis igitur fabulas pertractandas mihi sumsi quibus velut firmissimis vinculis Oriens et Occidens connectuntur. Quod idem forsitan arrogantiae et temeritati mihi tribuatur, cum nemo infitiari possit, has ipsas Herculis fabulas fere omnium difficillimas esse digestu. Ac revera si respexeris mutationem, quam longinquitate temporis subierint, turbamque commentorum de Hercule, in quem innumera cumulaverunt praeclare facta undecumque desumpta, ut vere dici possit, Herculem imperium suum orbis terrarum finibus definire, si videris, quanta cum licentia poëtae in narrationibus epicis rerum rationes resque ipsas variarint seriorumque ingenia in fabulis ad pragmaticae historiae morem ornandis desudarint, viro illi docto assentieris qui dixit[1]), Herculem nostro tempore scriptori suo tot tantosque labores injungere, quot et quantos Junonis aestuans invidia et Eurysthei atrox dominatus vix potuerint olim illi ipsi imponere. Equidem cum nihilo minus hunc libellum in lucem emittere audeam, id excusationis habeo, quod mihi videar minusculam quandam Herculis fabularum partem elegisse, ubi et tironi, si ratione ac via eaque qua par est diligentia ad rem accesserit, non omnis spes ab initio sit dempta. Nam Herculis res ut potui cum apud veteres et poëtas et rerum gestarum scriptores vel passim sparsas vel peculiari ratione tractatas colligens tum Starkio auctore magistro carissimo in Herculis fabulam, qualem Sophocles nobis tradidit, inquirens latere quaedam mox sensi, quae detecta multis rebus exoptatam lucem praebere possent.

1) A. Vogel: Hercules secundum graecorum poëtas et historicos antiquiores descriptus et illustratus, pag. V, Halis Sax. 1830.

Sophocles cum pluribus fabulis Herculis nomen ac res in scenam produxerit[1]), in Trachiniis ultima potissimum ejus fata celebrat. Jam vero Hercules a prisca, quam nobis ostendunt Homeri carmina, imagine et veritate longius recesserat, cum praesertim inde a Pisandri Camirensis aetate Aegyptiorum Tyriorumque de Hercule commenta in Graecam fabulam confluxissent. Etiam in Trachiniis peregrinam originem produnt nonnulla; de qua re in sequentibus agemus; sed antea et de nomine Herculis et de propria ejus natura, qualis fuerit et quomodo sese mutaverit, dicendum. At enimvero id praemonendum habeo, me hanc provinciam ita suscipere ut neque quaestiones tam lubricas ad finem perducam, neque omnibus doctorum hominum de his rebus sententiis perpensis jam, quid ego existimem, accurate exponam; qui enim hoc sibi negotium sumserit, peculiarem librum eumque satis amplum scribat necesse est; sed id potissimum meum est consilium, ut fundamenta, quibus hac in re insistendum esse puto, indicem simulque aliorum gravioris momenti sententias, quoad eius fieri possit, obiter tractem.

Quam disputationem, quod ad nomen attinet, etiam ea de re minime mihi defugere licet, quod origini nominis tamquam fundamento firmissimo superstruunt sententiam et ii qui Herculem vere graecum esse et ii qui ex Aegypto vel ex Phoenice oriundum in Graeciam eum transmigrasse arbitrantur.

De nomine Herculis.

De nomine igitur Herculis quid sit judicandum, variae sunt doctorum hominum discrepantesque sententiae non solum nostratum, sed etiam veterum. Sunt enim qui, ut modo significavi, graecam nominis originem addubitent, quanquam et forma et significatus speciem vere graecam prae se ferunt; *Ἡρακλῆς* compositum ex *Ἥρα* et *κλης*, qui exitus a *κλέος* ductus est, convenire videtur cum multis aliis nominibus ut *Διονυσοκλῆς*, *Ἀθηνοκλῆς*, *Ἑρμοκλῆς*, *Διοκλῆς*, quorum partem priorem significare deum, posteriorem cum voce *κλέος* cohaerere constat. Suspicio autem, *Ἡρακλῆς* non similiter esse compositum, quam movet Hesychii forma *Ἡρύκαλος*, egregie augetur

---

1) **Haud dubie huc pertinent deperditae fabulae, quae inscriptae erant: Hercules ad Taenarum, Iphicles, Jolaus, aliae; ex illis quae exstant Herculis memoriam non omittunt Philoctetes et Ajax.**

eo, quod ii qui hanc vocem graecae stirpis esse opinantur nullam, quantum ego existimare possum, probabilem invenerunt etymologiam, ita ut Moversio ignoscendum sit, quod etiam nomen Herculis ex phoenicio fonte ad Graecos manasse demonstrare conatur, quamquam et ipse verum intellexisse non videtur. De qua Moversii sententia infra erit dicendum. Admirabilis autem illius hominum doctorum dissensionis duas posse cogitari causas putaverim. Aut enim revera nomen quod est Ἡρακλῆς ex barbarorum aliqua lingua Graeco sermoni inculcatum est — id quod etiam de fabula valere Moversius contendit — aut tradebatur posteris ex tempore vetustate obruto, quo sermo graecus, quali Graecos usos esse videmus, nondum idem erat, quem igitur et veteres ipsi quos dicimus probe nosse desierunt. Nam hoc quidem videtur constare veteres explicationem nominis ignorasse veram; ad quam rem probandam sufficiat ex magna huc pertinentium silva sententiarum decerpere notissimas.

Duobus laborat vitiis usitata illa etymologia, Herculem ita esse appellatum, ὅτι δι' Ἥρας ἔσχε κλέος [1]. Primum pro certo habeo, nomine dei proprio id significari, quod ei est proprium, id est, ejus naturam neque rem aliquam fortuitam. Deinde male Hercules diceretur per Junonem esse gloriam adeptus, nisi volueris lucum a non lucendo statuere, quoniam ab ipsa Junone Hercules per totam vitam insidiis esse vexatum fabula docet; quod non redarguitur loco Ptolemaei Hephaestionis, qui ut firmaret suam Herculei nominis explicationem his verbis utitur [2]: Νεῖλος ὁ Ἡρακλῆς ἀπὸ γενέσεώς φησιν ἐκαλεῖτο· ἐπεὶ δ' Ἥραν ἔσωσεν ἐπερχόμενον αὐτῇ ἀνελὼν τὸν ἀνώνυμον καὶ πυρίπνοον Γίγαντα ἐκεῖθεν διὰ τὸ ἀπαλαλκεῖν τῆς Ἥρας τὸν πόλεμον μετέβαλε τὴν κλῆσιν. Id quod deinde Macrobius dicit [3]: „et revera Herculem solem esse vel ex nomine claret. Ἡρακλῆς enim, quid aliud est nisi ἥρας, id est, aëris κλέος; quae porro alia aëris gloria est nisi solis illuminatio, cujus recessu profunditate occulitur tenebrarum?“ a vero etiam longius abesse videtur, cum et ἥρα hoc sensu usurpatum non inveniatur totaque explicatio artificiosior sit. Idem valet de alia etymologia,

---

1) Cujus explicationis Matris auctor est cf. Diod. S. I, 24. Appollod. II, 4, 12. Schol. Pind. VI, 115. Prob. ad Vergil. Ecl. VII, 61. Welker; griech. Götterlehre II, 754.

2) Phot. 245 H.

3) Saturn. I, 20.

quae quidem delphicam auctoritatem prae se fert: Suidas s. vv. *Ἡρακλῆς ξενίζεται* dicit:

Ἡρακλῆν δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει· ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις [1]). Sonum asperum non curat; quod aliquo modo ferri possit; at notio ferendi in nomine desideratur, quae abesse nequit. Alii in alia abiere.

Ut igitur taceam ineptias mythographorum latinorum [2]), videamus, quid sentiant nostrates. Quorum qui graecam originem tenendam putant, plurimi explicationem primo loco a nobis prolatam probant [3]); ceteri fere omnes usque ad Moversium, Herculem vocem phoeniciam esse הֹרֵכֵל contendunt [4]), quam Hamakerus invenisse sibi videtur in nomine *Ἄρχλης* [5]), quem inter reges Pastores penultimo loco ponit Africanus, ultimo Eusebius [6]); הֹרֵכֵל enim significare circumeuntem, terras peragrantem, hinc mercatorem; hoc autem dei phoeniciae gentis proprii nomine perbene Phoenicum ipsorum vitae consuetudinem contineri. Quam sententiam jam pridem explosam pluribus redarguere supersedens haec tantum moneo: Cum הרכל non sit mercator, sed institor, solisque emanationi institoris nomen inditum esse veri dissimile videatur, cum deinde Hercules ne mercator [7]) quidem appellari possit articulusque certus qui dicitur mire poneretur, equidem haud aegre fero, quod Moversius, hoc Herculei nominis etymon esse non posse, verbis usus parum urbanis contenderit [8]). Neque autem felicius ipse vir doctissimus [9]) suam sententiam tuitus esse videtur, quamquam quae disputat ad veritatem videntur propensiora. In adnotatione enim quadam, quam praebet Etymologicum mag-

1) Idem oraculum exstat apud Eustath. ad Iliad. E pag. 561.

2) Fulgent. Myth. II, 5. Alber. Phil. XXII qui sibi persuasum habent, Herculem esse: *ἡρώων κλέος.*

3) Nuper etiam Benzeler in lexic. nomin propr. ed. Pap. edit. III, qui vertit: Frohbert.

4) Muenter. Relig. d. Karthag. pag. 41 et Anm. 25. Radulph. Rochett. Mémoire sur l'Hercule assyrien et phénicien pag. 14 etc Cleric. Bibl. Univers. I, 252.

5) Miscell. phoenic. pag. 171.

6) Syncell. 61 sq.

7) Movers. Phoeniz. II, 2, 32.

8) Phoeniz I, 430 cf. Rad. Rochett. l. c. Anm.

9) Quem sequitur fere usque ad verbum Nork: die Götter Syriens pag. 67.

num, videt verum apud Phoenices Herculis nomen: s. v. *Γάδειρα* enim legitur:

Γάδειρα . . . ὥς φησι Κλαύδιος Ἰούλιος ἐν ταῖς Φοινίκης ἱστορίαις, ὅτι Ἀρχαλεὺς υἱὸς Φοίνικος κτίσας πόλιν ὠνόμασε τῇ Φοινίκων γραφῇ· γάδον γὰρ παρ' αὐτοῖς τὸ ἐκ μικρῶν ᾠκοδομημένον.

Hic igitur *Ἀρχαλεύς* Phoenices Gades duxisse dicitur, quod et ipsum a tota antiquitate de Hercule praedicatur. Itaque *Ἀρχαλεύς* [1]) Moversio Herculis apud Phoenices nomen esse videtur. „Sublata Graeca terminatione *ευς* vera phoenicia vox Archal remanet significans *Ἄρ* vel *Ἥρ* vincit i. e. יָכֹל, id quod concinit cum alio Herculis cognomine Jarubaal.“ Quae Moversii sententia licet sagacissime inventa sit compluribus tamen dubitationibus obnoxia est, quocirca vir doctus sibi soli persuasisse videtur, eam esse veram; neque in hac re ei adstipulari possum, quod semitica nominis origine perspecta suspicio ei nascitur etiam nomen ipsum Graecis proprium non fuisse. Sed de hac re infra disseretur. Etsi igitur omittimus eam quaestionem, quae diligenti critico hoc loco oriri debet, quidnam sit auctoritatis ei tribuendum qui Hebraeorum קָטֹן graecis literis scripsit *γάδον*, restant graves dubitationes. Verumenimvero ipse Moversius cognitum habuit, Graecos solitos fuisse vocabulis semiticis nova suae inventionis nomina substituere, itaque externorum deos nominibus propriis et suis appellare. Dum deinde in priore vocis parte deum illum *Ἥρ* latere contendit, de quo nil fere scimus [2]), Moversius rem obscuram re obscuriore illustrat. Priorem denique partem vocis יָכֹל plane tolli, concesserimus Moversium sequi; quod qui probari potest? Moversius nomen יוּכַל, יְהוּכַל affert; itaque iterum rei obscurae ex obscuriore lumen afferre vult; nam huius nominis etymologia

1) Equidem primum putaveram, librarii parum diligentis errore hoc nomen vitiose scriptum esse pro: *Ἀρχέλαος*; non male enim Hercules ita esset appellatus, cum saepius audiat: *ἀρχηγέτης* et *ἀρχηγός* cf. Dio Chrysost. orat. XXXIII. Boeckh. c. i. vol. III. n. 5753: *ΗΡΑΚΛΕΙ ΑΡΧΗΓΕΤΕΙ*; *ἀρχηγέτης* nominatur etiam in titulo Deliaco. c. i. vol. III. n. 2271. cf. Xenoph. Hellen VI, 3, 6. Lucian. Conviv. s. Lapith T. IV, p. 352 edit. Basil. Etiam nepoti cuidam Herculis erat nomen Archelai. cf. Hygin. Fab. 219.

2) Phoeniz. I, 84.

3) Quem ex veteribus nnus P ato uno loco Polit. X, 614 B. commemorat, ubi, num vitium aliquod irrepserit, dijudicari nequit.

prorsus est incerta; poterat fieri, ut imperfectum quod dicitur יוּכַל pro hophal haberetur, ex quo יְהֻיכַל formari licet; aut si revera prior pars vocis יהכל est יְהוָה, vocalis u nascebatur ex o in יְהוֹ et sequenti י in יכל; forma enim יָהוּ vel יְהוֹ tantum in exitu vocum, nusquam in medio invenitur cf. מִיכָיְהוּ [1]), sed יְהוֹנָתָן [2]).

Quae cum ita sint, equidem Moversii conjecturam ad nihilum recidere putaverim.

Alia igitur via ad rem esse accedendum intellegitur. Ex eo quod Herodotus[3]) Herculis nomen non a Graecis ad Aegyptios, sed ab his ad Graecos venisse perspicuum esse dicit, unusquisque videt, nisi videre non vult, Aegyptios numen aliquod eodem vel prorsus simili nomine appellatum coluisse; nam id nisi esset, fieri nullo modo poterat, ut Herodotus de nominis ortu, utrum Graecis an Aegyptiis reddendus sit, dubitaret. Sed hoc loco mihi forsitan objiciatur, Herodotum, qui Graecorum more omnia aliunde quam a Graecis repetere maluerit, hac de causa incertum fuisse, quod nesciret, Graecos prisco tempore cum Aegyptiis commercium habuisse, qua in re facillime fieri potuisse, ut numinum ipsorum quorundam confusione facta id Herculis nomen barbarorum auribus inculcaretur, ita ut Graecorum consuetudine per longius tempus sublata Aegyptii inde ab initio hoc nomen suum fuisse arbitrarentur. Sic exsistimantibus cum multa tum haec objicienda: intellegi haud potest, cur solius Herculei nominis originem ita obliti sint Aegyptii, cum cognomina aliorum deorum, qui ut Amûn — Ζεύς [4]), Osiris — Διόνυσος [5]), Isis — Δημήτηρ [6]), Apis — Ἔπαφος [7]) societatem inierunt, sibi non vindicaverint. Herodotus deinde certiora de hoc Hercule scire cupiens cum audivisset, in urbe Tyro sacrum esse Herculi templum, in illam

1) vel מִיכָיְהוּ Judic. XVII, 1, 4. 2 Chron. XVII, 7. XIII, 2. XI, 21, 22. etc.

2) I Samuel. XIII—XXXI.

3) II, 43. Diodorus Siculus (I, 24) Herodotum sequitur; contendit enim, Graecorum heroi antea nomen Alcaei fuisse; qnia autem priscorum Aegyptiorum dei virtutem imitaretur, Herculis cognomen ei esse inditum.

4) Herod. II, 112.

5) Ibidem et 144.

6) II, 156.

7) II, 153. III, 27, 28.

Phoenices urbem migravit [1]). Apparet autem ex tota narratione, etiam hunc Phoenicum Herculem nomine quidem ab Graeco diversum non fuisse. Quo magis igitur homines docti Herculem apud diversos populos ipsa natura diversissimum ac prope esse contrarium probare student, eo probabiliorem reddunt meam sententiam, Graecos ex nominis similitudine potissimum suum se Herculem apud barbaros invenire putasse. Id quod et ea re firmatur, quod Herculeum nomen invenitur, quocunque Phoenices ejus cultum adportaverunt: Tarsi, Thasi, Melitae, Carthagine, Gadibus. Verumenimvero si Phoenices aliud nomen usurpassent, id nobis esset servatum, non Herculis. Attamen optimo jure addubitare nobis videmur, Graecos peregrinae originis nomen esse suum putasse, linguae enim discrimen, quod intercedit inter populos a Semo denominatos et Graecos, tantum est, ut phoenicii sermonis vestigia in toto graecae linguae thesauro exceptis nonnullorum florum, arborum, gemmarum, lapidum ex Oriento advectorum nominibus paene nulla deprehendantur, nominum autem propriorum ne unum quidem ex phoenicio fonte oriundum irrepsisse — quod multo majoris est momenti — ita probari possit, ut omnes dubitationes remotae sint. Aut nomen ab ipsis inventum peregrino numini dedissent, aut in Graecam linguam nomen vertissent, quorum neutrum hic factum est.

Quae cum ita sese habere videantur, recurrendum esse dico ad lectionem Etymologici magni et inquirendum, annon nihilominus in Ἀρχαλεύς verum lateat. Assumo conjecturam quam primus Norkius protulisse videtur [2]), primarium Herculis nomen esse Chaldaeorum: עֲרְקֵל, quod significet: festinare [3]); haud recte autem Norkius hoc verbum ducit ab Hebraeorum רֶגֶל, neque significatio volvendi rotandique [4]) inest, qua cursus solis indicetur. Aliter res instituenda. Tribus ex causis hanc vocem semiticam non esse putaverim. Primum in Chaldaeo-

1) II, 44.

2) Etymologisch-symbolisch-mythologisches Realwoerterbuch. Stuttgart 1843. Libor mihi ad manum non est, laudo igitur: Paul. Real-Encyclop. s. v. Hercules, pag. 1186.

3) cf. Prov. XXIX, 20 ubi: חָזִיתָ אִישׁ אָץ בִּדְבָרָיו vertitur: אִין חֲזֵיתָא גַּבְרָא דִמְעַרְקְלִין מִלּוֹי

4) Quam in voce ἥλιος inesse dicit God. Hermann. Opusc. II. p. 183.

rum ipso sermone nulla firmatur affinitate, deinde ne in ceteris quidem linguis semiticis invenitur, denique est quadriliterum, unde colligi potest עֲרְקֶל, quod video etiam in Ἀρχαλεύς, unum esse ex magno eorum verborum numero, quae tempore remotissimo ex indogermanico aliquo fonte in Chaldaeorum sermonem irrepserunt. Graeci autem nomen non a barbaris acceperunt, quippe quod in antiquis eorum sedibus sit ortum; cum autem ultima antiquitate ex Asia Occidentem versus migrarent, etiam Herculis et nomen et cultum secum duxerunt; contra Phoenices Aegyptique incolae similis dei cultui addicti ab Indogermanis nomen Herculeum accepisse putandi sunt ita, ut Phoenices Melcarthum, Aegyptii Dsom graeco nomine Ἡρακλέα appellari scirent. Ingenue denique fateor, nomen עֲרְקֶל apud Indogermanos me non invenire, qua re tamen mea sententia tantum abest, ut funditus tollatur, ut ne labefactetur quidem. Ex numero enim eorum ערקל est verborum, quae ex tempore, cui propter omnis linguae scientiae librorumque penuriam sempiterna nox nunc offusa est, ad posteros venerunt; nomina autem propria formam primariam retinere solent, cum nomina appellativa quae dicuntur maximae commutationi sint obnoxia, dum stabiliantur monumentis et literis.

Habes quae equidem de Herculis nomine sentio; quaestio sane est difficillima, quapropter auctoribus meis lubenter peccata sua condono ea lege, ut errores meos, quos conditio humana ita fert, mihi ignoscant.

De propria Herculis natura.

Itaque celerem solis cursum Herculeo nomine significari dico. Ubi autem huc perventum est, alia nos excipit negotii quod agitur pars, ut nimirum ex fabulis Herculis naturam revera esse eam, quam nomen videatur significare, ostendamus; quae quidem difficilis admodum est quaestio. Ut enim supra dixi, Hercules solis numen ejusque vim et effectus in omnium rerum naturam declarans adeo primariam indolem immutavit, ut multae fabulae aut in rationem solis non cadant aut certe veram Hercules naturam ne attingant quidem. Sunt tamen ad hoc de quo disputo probandum testimonia perspicua non librorum quidem, quod jam in Homeri carminibus quae de Hercule narrantur commenta a prisca imagine et veritate differunt; at in tanta fabularum varietate nonnullae ita comparatae esse videntur,

ut sublatis poëtarum imaginibus, quas tamquam clarissimas vestes corpori fabularum nudo atque simplici induerunt, jam prima et vera emergens imago quin ad deum solis spectaverit, nemo possit addubitare.

Consentaneum est, jam ante Homerum Herculis res celebratas fuisse epicis carminibus [1]), quorum nihil nobis servatum est; vetat igitur ingens temporum obscuritas nos progredi ultra Homerica carmina; quae arctiorem quendam orbem Herculeae fabulae praebere eamque leviter ac fortuito magis quam peculiari ratione attingere dolemus. Quia enim Hercules Homericus haud dubie vere graecus nihilque in eo peregrinum videtur, maximo meae sententiae argumento esse debebit, si ne ab illo quidem rationem solis abesse demonstraverim. De dodecathlo solis munus significante et laborem, quo coelestia signa transcendat, hoc loco taceo, cum Homerus certum duodecim laborum numerum non commemoret; ἄϑλους quidem Herculi ab Eurystheo impositos Homerica aetas cognitos habuit [2]), sed unum tantum poëta commemorat, quo nihil gravius atrociusque excogitare posse sibi visus sit Eurystheus; Plutonis enim canem Herculem ab inferis protrahere jussit [3]). Cuius fabulae sensus simplex is esse videtur: solis vel lucis numen haud metuens obscuritatis terrores penetrat vel in profundissimas tenebras; inimica enim est lux caliginis, itaque Hercules cum Orci domino pugnat [4]). Radii autem solis perbene exprimuntur sagittarum imagine [5]); itaque solis numen jam in Iliade [6]) Junonis pectus trisulca sagitta percutit et arcu sagittisque instructus in Orco quamvis umbra Ulissi apparet [7]). Quod deinde Hercules per totam vitam Neptuni ejusque filiorum amicorumque est hostis acerrimus [8]), nihil aliud exprimitur nisi hostilitas i. e. diversitas naturae, quae intercedit inter elementum humidum et calidum, inter ignem et aquam; qua de re innumerae quo-

1) O. Mueller. Dor. II, 464.

2) Θ, 363. λ, 621 etc.

3) λ, 623.

4) E, 395. sq.

5) Schwenk, Die Sinnbilder der alten Völker, p. 327.

6) E, 392—394.

7) λ, 607.

8) Quod luculentis exemplis demonstrat Stark, Gaza 49. 292. In contrarium tendit Hesiod. scut. 103—107, ubi Hercules a Jove et Neptuno amatur.

que Herculi tribuuntur contra flumina pugnae [1]). Itaque haud mihi dubium esse videtur, quin ad Herculem fluminum hostem spectet lepida illa narratio, eum pugno percussisse Cyathum [2]), Oenei pincernam, quod is ignorans aquas ad pedes lavandos comparatas supra Herculis manus fudisset; in Aetolia enim ipsa fluvius erat nomine Cyathi [3]). Huc quoque referendum puto, quod Hercules dicitur ante Troiam cum marino monstro pugnasse [4]), et si Creuzerum [5]) sequi licet, ad pugnans lucis numen pertinet etiam narratio Iliadis illa, qua Juno Ilithyiis remotis Alcumenae uterum cohibuisse traditur [6]).

Haec fere sunt, quae apud Homerum meae sententiae documento esse videntur; pauca quidem neque nullam controversiam admittentia, sed quae opponi possunt debentque iis qui ex Homericis carminibus potissimum concludi posse opinantur, Herculem vere graecum procul abesse a ratione solis. Id quod jam apud Hesiodum nullo modo probari potest; antiquus enim ac nobilis paëta commemorat pugnas cum hydra [7]), et leone [8]), itemque profectiones in Erythiam [9]) et ad Hesperidas [10]), quas omnes et pugnas et expeditiones ad solis numen pertinere, res videtur concessa. Neque a vero aberrare mihi videor contendens, fontes calidos ideo tota Graecia [11]) Herculi esse sacratos, quod sit deus valens calore suo. Longum autem est enumerare Herculis fabulas, in quibus eum solis esse deum facilem habet cognitionem, ut in Euryti fabula, de qua infra paullo accuratius disputabitur; in fabula illa, quae ferebatur de cerva Cerynitide [12]), qua solis celeritas egregie indicatur; in commento de Caco [13]) qui frustra nubes nebulasque circum se fudit, ne ab

1) cf. R. Rochett, p. 312.

2) Schol. Appollon. Rh. A. 1212. Paus. II, 13. Aliter audit hic puer Athen. X, 6, pag. 424.

3) Polyb. IX, 45, 1. Athen. X, 6, pag. 424.

4) *Y* 145—148.

5) Symbol. u. Mythol. II, 644. III. Aufl.

6) *T* 119.

7) Theog. 313—318.

8) Theog. 327—332.

9) Theog. 287—294.

10) Theog. 333—336.

11) Diod. s. V, 3. Schol. Pind. Ol. XII, 25. Strab. IX, 425. Liv. XXII, 1. Athen. XII, 512 f. Hesych. s. vv. Ἡρακλ. λουτρ. etc.

12) Apollod. II, 5, 3. Pind. Ol. III, 46, 24. Callim. in Dian. 102.

13) Ovid. Fast. I, 550. Vergil. Aen. VIII, 190 sq. Propert. IV, 9.

Hercule inveniretur; neque multis verbis contendere in animo est, idem valere de fabulis, ubi arcu facinora praeclara perfecit Hercules, quorum de numero gigantomachiam [1]) laudo. Hoc unum addo: quia sol radiis suis tenebras penetrat, ideo Hercules Index [2]) Sophocli per somnum eum, qui pateram auream gravem surripuisset, indicavit [3]) apertisque lucris sive thesauris praeest; hac igitur ratione explicandum Horatianum illud [4]):

O si urnam argenti fors quae mihi monstret ut illi,
Thesauro invento qui mercenarius agrum
Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!

Jam et id intellegitur, quid sibi velit, quod jam Pythagoras Herculem appellaverit τὴν δύναμιν τῆς φύσεως [5]), fons enim cum sit omnis caloris, auctor quoque omnis vitae est, ad idemque redit eruditus Apollonii Rhodii scholiasta dicens [6]): παρὰ δὲ τοῖς φυσικοῖς ὁ Ἡρακλῆς σύνεσις καὶ ἀλκὴ λαμβάνεται; quod ipsum et Macrobius significare vult, cui est Hercules virtus dei regentis [7]); alio enim supra citato loco Herculem solem esse expressis verbis docuit.

Primo igitur Hercules sol est. Rudes autem naturae vires, simulatque populi ab infantia ad cultiorem vitae ordinem ascendunt, in deos transformantur, itaque sol fit deus solis. Vidimus deinde illis in fabulis, quas levi quasi brachio attigi, ut in universum dicamus, hominem vel heroem egregio robore et celeritate praeditum contra monstra hominesque pugnantem. Penitius autem inquirentes in horum Herculis hostium naturam eos maximam partem hominum generi vitam tranquillam invidere intellegimus. Verum nemo nostrae aetatis sibi persuadere poterit, horum monstrorum quidquam unquam exstitisse, ac ne veteres quidem. Sed est hoc omni populo, imprimis autem Graecis insitum atque innatum studium, ut non solum vires naturae hominibus noxias, verum etiam res quae

---

1) Gerhard. griech. Mythol. II, 218.
2) Cic. de divin. I, XXV.
3) Ibidem.
4) Satir. II, 6, 10 sq. cf. Schol., Pers. II, 10. — O si Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro Hercule!
5) Jamblich. vit. Pythag. c. XXVIII, §. 155.
6) A. 865.
7) Saturn. I, 20.

in natura rerum fiunt ipsas, quarum notionem homines ineruditi mente complecti non poterant, ita in intellegentiae vim atque rationem revocent, ut poeticae cuidam indoli indulgentes has res sensibus non subjectas imagine monstrorum exprimant. Jam vero in rerum natura est, hoc cum factum sit, etiam illum qui ea horrenda monstra mundi concentum convenientiamque turbantia perdomuisse putetur, ad hominum naturam ipsum propius accedere ita, ut homo fiat vel potius in medio maneat inter homines deosque i. e. heros fiat. Soli autem imprimis hae pugnae tribuebantur, quod etiam homines in infantia versantes maximam vim in rerum naturae statum et immutationem exercere solem intellegunt. Hac igitur via deus solis heros factus esse videtur. Quod autem non jam deus erat, ortus esse putabatur ex mortali matre, sed ab immortali patre, quod heros erat neque divinam ejus naturam prorsus obliti erant. Non igitur mirum est, quod heroi qui habebatur tempus natale datum est. Qua in re potissimum bonus Herodotus, ut ipse dicit[1]), adeo offendebatur, ut Alcumenae filium ab orientalium populorum Hercule prorsus diversum esse judicaret.

Heros igitur splendidissimus Hercules, qualem inde ab Homero fere omnia testimonia nobis demonstrant, is est, qui omnibus eis virtutibus, quas pro summis optimisque heroica tempora habebant, egregie instructus totam vitam juvandis hominibus sacravit, qui maximos labores suscipiens neque ullis aerumnis neque horrendissimis periculis a praeclaro consilio se abstrahi patiens e medio tollit sua manu, quaecunque terra marique hominum generi nocent. Quapropter expresserunt eum artis priscae monumenta[2]) tamquam hominem eximia corporis magnitudine, robustis membris, si excipias pellem leoninam cetera nudum, sagittis clavaque armatum. Erat autem Graecis *ἀλεξίκακος*[3]), neque quidquam artificiosi habet, quod in has lamentationes chorus effundit[4]):

1) II, 43, 44. cf. Paus. V, 25, 12. Arrian. Exp. Alex. II, XXX.

2) O. Mueller, Archaeol. pag. 674 sq.

3) Hesiod. Scut. 27. cf. Schol. Aristoph. Nub. 1375. Schol. Apollon. Rh. A. 1213 *ἀποτρόπαιος* cf. Philostr. vit. Apoll. VIII, 7. Aelian. V. H. V. 2 etc. In Soph. Trach. ipse Hercules dicit v. 1111.

Ζῶν κακούς γε καὶ θανὼν ἐτισάμην

Magn. Eoe. v. 27—36 Jupiter gignit Herculem, ut ab injuriis defendat deos hominesque.

4) Soph. Trach. 1112.

ὢ τλῆμον Ἑλλὰς πένθος οἷον εἰσορῶ
ἕξουσαν, ἀνδρὸς τοῦδέ γ' εἰ σφαλήσεται.

Jam autem prorsus veteres obliti erant, Herculem deum esse, quamobrem apud Homerum φώς[1]) appellatur mortuusque in Orcum descendit[2]). Nascitur vero quaestio, utrum in ipsa Graecorum fabula fuerit, Herculem post vitam egregie peractam in Olympum receptum esse, an hoc sola orientalis Herculis imitatione graeci poëtae sibi vindicaverint. Quod difficile est dijudicatu. Potuit forsitan deus solis homo factus per aliquod tempus e coelo excludi. Cum vero jam apud Hesiodum in immortalium coetum restitutus perpetua felicitate Hebesque florentis toro delectetur, mature quidem praeclara illa Herculis fabulae sententia apparet, naturam mortalem suo ipsius labore ac voluntate immortalitatem assequi.

Verum falsissime Buttmannus in oratione[3]) ceteroquin praeclara exposuit, Herculis fabulam inde ab initio poëticam fictionem certo consilio institutam esse, ut Graecis primarium ac perpetuum virtutum omnium exemplar ante oculos poneretur; id quod Buttmannum cogit, ut etiam fabulam illam Prodici[4]), quae nullius auctoritate nisi ipsius philosophi nititur et prae se fert ut ita dicam indolem philosophantis sophistae, in prima fabulae forma fuisse contendat; quod nullo modo ferri potest.

Addendum denique est, Graecos quorum proprium erat, aliorum populorum deos apud se invenire i. e. suis aequare — quae res in Hercule facile fieri potuit, quod Phoenicum et Graecorum Hercules solis erant numina — permultas fabulas apud barbaros pervulgatas cum suis contexuisse. Quam admirabili autem arte effecerint, ut aliena non repugnantia suis, sed cognata videantur, sequentia doceant.

De Deianira.

In propatulo est, ex Lydorum de Hercule commentis non minimam partem postero tempore Graecorum fabulis genuinis

---

1) φ, 25.

2) Nam versus λ, 601 sq., ubi Hercules deorum consuetudine et Hebes toro gaudet, interpolatori reddendi sunt neque hymnus in Herculem λεοντόθυμον, qui in Homericis reponitur, Homeri ipsius carmen est.

3) Mythologus II, 246 sq.

4) Xenoph. Memorab. Socr. II, 1, 21 sq.

admistam esse; id quod etiam de Deianira Herculis conjuge jam sum probaturus. Quamquam femina omnibus notis egregia, qualem Sophocles depinxit, nullo modo conferri posse videtur cum Omphale, libidinosa illa Lydorum regina, intercedit tamen admirabilis quaedam similitudo inter ea, quae de utraque referuntur, adeo ut origo quidem Deianirae fabulae Graecis abjudicanda sit. Nunquam enim tam perfecte veritatem casus imitatur.

Tradunt veteres Herculem Omphalae filiae vel ancillae [1]) Jardanis [2]) aut voluntarium [3]) aut propter Iphiti necem [4]) a Mercurio Jovis jussu sub corona venditum servitutem tolerasse; cuius sub jugo virum tam fortem ita effeminatum esse, ut muliebrem vestitum indutus ad lanificium sese converteret [5]). Vestes autem illae erant rubro colore. Tradit enim Joannes Lydus [6]): σπουδὴ γέγονε — — διεργάζεσθαι — — τοὺς καλουμένους σάνδυκας (χιτῶνες δὲ ἦσαν ὑπ' αὐτῶν εὑρημένοι λινῶν μὲν οἱ διειδέστατοι, σάνδυκος δὲ χυλῷ τῆς βοτάνης καταβάπτοντες αὐτούς· σαρκοειδὴς δὲ ὁ χρὼς τῆς βοτάνης), οὓς αἱ γυναῖκες τῶν Λυδῶν γυμνῷ τῷ σώματι ἐπισκιάζουσαι οὐδὲν μὲν ἐδόκουν ἢ ἀέρα μόνον περικεῖσθαι, κάλλει δὲ ἔξω τοῦ καλοῦ καὶ σώφρονος ἐφείλκοντο τοὺς θεωμένους· τοιούτῳ τὸν Ἡρακλέα χιτῶνι περιβαλοῦσα Ὀμφάλη ποτὲ αἰσχρῶς ἐρῶντα παρεθήλυνε [7]). Quae vestis rubra sacerdoti coo quoque induta nobis est indicio, etiam in insulam Coum Herculis fabulam ex Lydia venisse [8]). Cur autem haec omnia huc affero? Deianira Herculi, qui in promontorio Cenaeo Jovi rem divinam faciebat, χιτῶνα καὶ

---

1) Herod. I, 7. Apollod. II, 6, 3. Pherec. et Xanth. fragm. apud Creuzer pag. 187 sq. etc.

2) De hoc nomine cf. Mus. Rhen. III, pag. 34. Anm. 26 vel O. Mueller: Kleine Schriften II, pag. 109. Anm. 26 et Mus. Rhen. Neue Folge VIII: Ueber phönizische Ortsnamen ausserhalb des semitischen Sprachbezirks v. J. Olshausen §. 3.

3) Ephor. Schol. Apollon. Rh. A. 1289. Palaeph. de incredib. XLV.

4) Sophocl. Trach. 270 sq. 356 sq. Pherec. Schol. Od. φ 22. Herodot. Schol. Eurip. Hippol. 545. Apollod. II, 6, 2, Hygin. fab XXXI. Serv. Aen. VIII, 300.

5) Donat. in Terent. Eun. V, 8, 3—4. O. Mueller, Dor. I, 453. Encycl. ed. Ersch und Gruber s. v. Hercules pag. 27 not. 218. Idem et de Sardanapalo tradit Diod. S. II, 23.

6) De magistr. Rom. III, 64. p. 258.

7) Sunt eaedem vestes quas commemorat Propert. eleg. II, 1, 5 sq.

8) O. Mueller Dor. I, 452.

ἱμάτιον οἷς εἰώθει χρῆσθαι πρὸς τὰς θυσίας[1]) postulanti Nessi donum cruore tinctum mittit, Hercules vero λαμπρὰν ἐσθῆτα[2]) poposcerat, cum haud dubie sacrificantes vestem candidam indui solerent. Quid autem haec Lydorum et Graecorum narratio sibi velit, quaeritur. In Lydorum fabula expresse dictum est, Herculem sive Sandonem corruptelarum illecebris irretitum hac muliebri vitae ratione liquescere fluereque mollitia. A quo minime abhorret sensus graecae fabulae internus. Legamus enim, quid Dio Chryostomus de hac re senserit. In oratione LX haec verba facit:

— — Δηιάνειρα οὐ πρότερον ἀνῆκε πρὶν ἢ ἔπεισεν αὐτὸν τὰ μὲν παραμυθουμένη καὶ φάσκουσα ἐκείνου κήδεσθαι, ὅπως μὴ κακοπαθῇ γυμνὸς τοῦ χειμῶνος καὶ τοῦ θέρους ὁμοίως ὑπομένων ἐν τῷ δέρματι τοῦ λέοντος, τὸ μὲν δέρμα ἀποθέσθαι, στολὴν δὲ ἀναλαβεῖν ὁμοίαν τοῖς ἄλλοις. καὶ τοῦτο δὲ ἦν ὁ λεγόμενος τῆς Δηιανείρας χιτών, ὃν ἐνέδυ ὁ Ἡρακλῆς. ἅμα δὲ τῇ στολῇ καὶ τὴν ἄλλην δίαιταν ἐποίησεν αὐτὸν μεταβαλεῖν κτλ.

Per Deianiram igitur amoris invidia in desperationem adactam Hercules contabuit; quod ipsum significatur nomine illius composito ex δηϊόω et ἀνήρ. Clearchus refert apud Athenaeum[3]), Omphalen libidinosam crudelemque amatores suos voluptate satiata interficere consuesse, quod idem et de Semiramide narratum est[4]), quam fere solo nomine ab Omphale diversam esse, Moversius[5]) recte demonstravit. Quam apte autem haec omnia congruant, nemo est quin intellegat.

Erat deinde Deianira femina virili animo praedita non in Sophoclis variata ornataque narratione, sed in simplici at veritati conveniente mythographorum fabula; non solum enim dicit Apollodorus[6]): αὐτὴ (scil. Δηιάνειρα) ἡνιόχει καὶ τὰ κατὰ πόλεμον ἤσκει, verum etiam traditum est, eam Herculi contra Dryopum regem Theiodamantem pugnanti auxilio venisse tam audacter, ut vulnus adverso corpore acciperet Herculesque victor ex pugna discederet[7]). Quibuscum consentanea refert

1) Diod. S. IV, 38.

2) Apollod. II, 7, 7. Apud Polluc. X, 4, 5 λαμπόςρ de toga candida usurpatur.

3) XII, 516.

4) Diod. S. II. 13. 20. Dinon ap. Aelian V. H. VII, 1 Syncell. pag. 119.

5) Phoeniz. I, 468 sq.

6) I, 8, 1.

7) Schol. Apollon. Rh A. 1212.

Nonnus, qui his versibus bellicosam Deianirae mentem praedicat [1]):

> Ὀρσιβόη δὲ φανεῖσα σὺν ἐγρεμόθῳ παρακοίτῃ
> θάρσος ἐνυαλίης μιμήσατο Δηιανείρης,
> ὁππότε Παρνησσοῖο κακοξείνῳ παρὰ πέτρῃ
> θωρήχθη Δρυόπεσσι καὶ ἔπλετο θοῦρις Ἀμαζών.

Jure igitur id quoque addi potest, Diodorum Siculum Amazonem quandam commemorare nomine Deianirae [2]), quae obscura Amazonum natio haud scio an ad similitudinem Omphales sit efficta; quam et ipsam bellicosam esse et scriptores [3]) et numi [4]) probant; id quod in dubitationem non vocabis si, quod supra dixi Moversium recte evicisse, eam fere esse eandem ac Semiramidem [5]), concesseris.

Accedit et alia res. Postquam Steinthalus [6]) callide perspexit, Graecorum Herculis fabulas maximam partem reperiri etiam in Hebraeorum de Simsone commentis, non dubito, quin huc pertineat et illud, quod meretrix illa perfida nomine Delila, quae multis numeris cum Omphale congruit, habitasse dicitur in vitium valle [7]); est enim Deianira filia Oenei vel Bacchi ipsius, vis autem solis, i. e. Hercules a vitium cultore [8]) ejusque filia necessario adamatur [9]).

Jam eo usque argumentationem adductam esse puto, ut concedendum sit, omnes veritatis numeros habere meam sententiam ita existimantis, ex Lydorum Omphale Deianirae fabulam exortam esse, admiranda quidem arte ad Graecorum res totamque eorum et sentiendi et cogitandi rationem variatam. Quod igitur Odofredus Muellerus vir vel a doctrinae copia vel a judicii acumine spectatissimus se dubitare dicit [10]), num Pisandro Camirensi Omphales fabula innotuerit, cum sola

1) Dionys. XXXV, 88—91.
2) IV, 16.
3) cf. Preller. griech. Mythol. II, 158.
4) Mion. descript. IV, p. 65 n. 346. Rad. Rochett. pg. 232. A 8.
5) Cujus rerum praeclare gestarum inprimis Ctesias praeco est.
6) Zeitschrift für Völkerpsychologie II, 129 sq.
7) Jud. XVI, 4:

וַיְהִי אַחֲרֵי־כֵן וַיֶּאֱהַב אִשָּׁה בְּנַחַל שׂוֹרֵק וּשְׁמָהּ דְּלִילָה׃

8) Oeneus primus a Baccho vitem accepit. Apollod. I, 8, 1.
9) Creuzer. Symb. u. Mythol. V, 651. Anm.
10) Dor. II, 460.

Lydorum aureata tunica indutorum mentio [1]) nimis parvi momenti sit, jam mea de Deianira sententia probata dicendum est, virum doctum haud recte hac in re haesitare; cum enim Apollodori loco [2]) nisus Muellerus ipse probare studeat, jam a Pisandro Deianiram esse commemoratam eamque ex Omphales fabula enatam esse viderimus, Pisandri aetate jam Lydorum commenta ad Graecos traducta videntur: quod mirum non est; nam Pisandri Hercules omni re diversus est ab Homerico neque dubium esse potest, quin cum jam Hesiodi, qui leonem commemorat, tum Pisandri aetate forsitan Pisandro ipso auctore permulta orientalium populorum commenta in graecam Herculis fabulam confluxerint [3]).

Habes igitur exemplum memorabile mutationum, quas receperint barbarorum fabulae ad Graecos translatae, quorum praestantissima indoles in hac Omphales imitatione mirifice elucet, quippe quae cultus barbari rudimenta poëtico quodam nitore exornans ita in succum et sanguinem convertat, ut ex ipso Graecorum ingenio deprompta videantur. Maxima autem laus debetur illi qui „nil molitur inepte", summa enim dignitate atque venustate in Deianirae dulci humanitate adumbranda fortunaque tristi describenda usus est.

Id unum addo: fabula simplex Deianiram sese ipsam occidisse non videtur tradidisse [4]); poëtae igitur reddendum, quam secuti sunt Apollodorus [5]) et Diodorus Siculus [6]).

De Hyllo et Hyla.

Quodsi ea quae modo disputavi recte disputata sunt, mirum esset, si Herculeae Lydorum fabulae alia quoque vestigia apud Graecos non possent explorari. Quod jam sum conaturus.

---

1) De magistr. Rom. III, 64: *καὶ μαρτὺς ὁ Πείσανδρος εἰπὼν Λυδοὶ χρυσοχίτωνες.*

2) I, 8, 5. cf. I, 8, 1.

3) Quamquam consensu veterum usque ad Herodotum Plutarchi opinio firmatur haec dicentis: (*π. τ. Ἡροδ. κακοηθ.* 14) *καίτοι τῶν παλαιῶν καὶ λογίων ἀνδρῶν οὐχ Ὅμηρος, οὐχ Ἡσίοδος, οὐκ Ἀρχίλοχος, οὐ Πείσανδρος, οὐ Στησίχορος, οὐκ Ἀλκμὰν, οὐ Πίνδαρος Αἰγυπτίου ἔσχον λόγον Ἡρακλέους ἢ Φοίνικος, ἀλλ' ἕνα τοῦτον ἴσασι πάντες Ἡρακλέα τὸν Βοιώτιον ἡμῖν καὶ Ἀργεῖον.*

4) Rem in medio relinquit Schneidewin, Einleitung zu den Trachinierinnen pag. 11.

5) II, 7, 7.

6) IV, 38.

Quamquam cum in omnibus quaestionibus mythologicis tum in studiis, quae in comparandis veterum populorum religionibus versantur, maximopere faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta examinemus, ne temere vel rei non satis cognitae vel prorsus falsae adsentiamur, tamen opus non est ut multis verbis exponam, Herculem qui in Octae monte sese cremaverit, lydii Sandonis veluti repercussam esse imaginem. Nam ut supra exposui Homericus Hercules mortem ne effugere quidem potest, quod *μοῖρα* et atrox Junonis odium cum oppresserunt[1]; Assyrii autem jam tempore vetustissimo deum coluerunt eximia praeditum fortitudine et virtute simulque effeminatum corruptumque libidinibus, qui quovis fere anno in nonnullis Asiae urbibus igne crematus ad novam vitam emergebat[2]. Poterat sane hic orientalis Sandon cum Hercule graeco comparari: quocirca Graeci, quod saepissime factum videmus, Sandonem neminem alium esse nisi Herculem rati fabulas, quae de eo ferebantur, optime in suis intexuere. Quae ita sunt in promptu, ut res disputatione non egeat; itaque ne Odofredus Muellerus[3]) quidem Oetaei Herculis qui dicitur originem a Graecis repetit. Prima huius cremationis causa haud dubie in eo erat posita, quod sol — nam hic est et Sandon et Hercules — hiberno tempore calorem minuens quasi vitam deponit sed vere adveniente ad novam vim resurgit[4]. Temporum autem longinquitate immutabatur haec primaria fabulae sententia. Hercules Sandonque facti sunt homines. Cum igitur haud ignorarent veteres vim ignis purificantem, quae quidquid esset minus castum purumque exstingueret, jam Herculem Sandonemque libidinibus vitiatos igne purgatos[5]) eaque via in deorum coetum esse restitutos, arbitrati sunt Haec igitur erat recentior mirabilis facti explicatio, cum sensus primarius longe alius fuisset. Facile autem intellegitur, Herculis graeci fabulam hoc

1) *Σ*, 117—119.

2) Concedo quidem nullo librorum testimonio Sandonem cremari; quin etiam Dio Chrysostomus (orat. IV.) lectionem praebet: Sandonem *ἐκρέμασαν*, quae ab Radulph. Rochettio certissime emendata est in: *ἐνέπρησαν*. Numi enim testes sunt et post Moversii expositionem (Phoeniz. I, 496 sq.) res in dubium vocari non amplius potest.

3) Mus. Rhen. 1829, pag. 349.

4) Steinthal, Zeitschr. für Völkerpsychologie II, pg. 133. Mov. I, 443.

5) Similiter Dido igne sese ipsa necans conciliatur cum Sichaeo i. e. puro; id enim Hebraeorum זכי significatur.

modo non solum ambitum latiorem nactam esse, sed etiam talem exitum heroi qui hominum saluti vitam consecraverat optime esse convenientem. Jam vero quaerendum mihi videtur, cur Graeci in Oetae montem potissimum hanc fabulam transtulerint. Primum dicendum est, Graecos — id quod innumeris exemplis demonstrari potest — fabulis a barbaris translatis statim in suis ipsorum terris locum assignasse; hinc et factum, ut res fabulis traditas et revere gestas et quasi indigenas sibi esse crederent; montem deinde eos elegisse, quod inde ascensus in Olympum minime videretur impeditus, proclive est judicatu. Oeta denique mons maxime erat indoneus, quod omnis illa regio Herculearum plurimarum fabularum quasi erat domicilium; vim enim igneam, quae solis est, vulcanicae, quam dicunt, naturae ejus regionis auctorem esse, veteres putasse videntur.

Hercules Deianiram uxorem adipiscitur victoria de Acheloo fluminis Aetolici deo reportata, qui ejus torum ambibat. Ejusdem vero nominis fluvius etiam in monte Sipylo invenitur teste Iliade [1]) dicitque scholiasta, Herculem, quod Achelous sive Acheles se aegrotantem calidis lavacris fovisset, grato animo filium suum ex Omphale genitum eodem nomine appellasse; conjunctus igitur et hic Achelous apparet cum Herculis fabula. Porro Hyginus refert [2]), Herculem Omphale duce magnum anguem circa fluvium Sagarin, qui alibi Sangarius nominatur, versantem et hominibus et frugibus perniciosum, sua manu interfecisse; ad cujus fabulae similitudinem proxime accedit et illud de Aetolico Acheloo commentum, qui et ipse dicitur terram devastasse atque in pugna cum Hercule commissa primum in anguem sese mutasse. Quae sane similitudines pro se positae minoris sint momenti, verum accedunt aliae. Primum addo, in Mysia flumen eodem Eueni nomine appellari [3]), in quo Nessum centaurum ab Hercule sublatum commemorant. Et Hyllus quoque est flumen Lydiae [4]) idemque de eo refert loco audato scholiasta ac de Acheloo, dicit enim: τοὺς παῖδας Ὕλλον

1) Ω, 616.

2) Astron. II, 14. cf. Ovid. Metam. IX, 2—88. Serv. A. VIII, 300.

3) Strab. XIII, 614. Plin. H. N. V, 32.

4) Iliad. Υ, 392. Herod. I, 20. Strab. XII, 554. Plin. V, 29, 31. Phrygii quoque nomen ei inditum erat cf. Strab. XIII, 696. Arrian. Syr 30. Liv. XXXVII, 37.

ἐκάλεσε καὶ τὸν ἐξ Ὀμφάλης Ἀχέλητα [1]). Hyllus igitur flumen est; sed ni fallor et Graecorum Hyllum flumen fuisse aliquando, ex eo apparet, quod apud Ptolemaeum Hephaestionem [2]) ei cornu in sinistra parte capitis tribuitur; fluminis enim deum cornibus insigniri nota res est [3]). Alia deinde nominis Hylli origo, quae tamen iterum in Lydia eaque cum Herculis fabula conjuncta, exstat apud Pausaniam [4]), qui ossa Hylli dicit in lydio monte ingentia esse inventa; hunc autem Hyllum terrae filium fuisse Herculemque ad consuetudinis cum Omphale memoriam filiam hoc nomine appellasse. Qua in narratione id novum et grave est, Hyllum terrae filium putari. Addendum denique, mentionem fieri Jovis Hylli apud Cares. Apparet igitur his ex fabellis, Herculem Omphales maritum i. e. Sandonem saepius apud Lydorum gentem una cum eis nominibus commemorari, quae in Graecorum Deianirae fabula inveniuntur. Haud tamen nescio eum saepissime errare, qui in rebus mythologicis nominum tantum similitudine nisus audentius conjicere voluerit, nominum fabularumque aliquem transitum esse statuendum. Caute igitur ad rem accedo et alia quoque huius rei vestigia affero, ne jure mihi objiciatur, me aliquod non satis perceptum cognitumque contendere, existimantem, Hylli quidem patriam esse Lydiam.

Primum id affero, etiam Stephani Byzantini adnotationem ad vocem Ὑλλούαλα adscriptam pro mea sententia facere. Non possum deinde, quin observationem aliquam, quae has in res penitius inquirenti sese mihi obtulit, in medium proferam. Ut brevis sim et dicam, quod sentio: Multae causae conveniunt

---

1) Stephan. B. s. v. Ἀκέλης. Recte si suspicatur Stephanus Acelam dictam esse ex Acello Herculis filio e Malide, quae Omphales serva fuisse fertur, contra librorum auctoritatem scribendum esse dico cum Holstenio: πόλις Λυδίας (pro Λυκίας, Λιβύης). Ἀκέλης enim haud dubie idem est, quem scholiasta Ἀχέλητα nominat filium Herculis et Omphales. Etiam flumen Acheles, ut vidimus, in Herculis fabula commemoratur, cum contra Herculi in Lycia nullus locus esse videatur.

Panyasis apud schol. Apollon. Rh. Δ, 1149 similia affert: τὸν Ἡρακλέα νοσήσαντα τυχεῖν ἰάσεως ἀπὸ Ὕλλου τοῦ ποταμοῦ ὅς ἐστι τῆς Λυδίας. διὸ καὶ τοὺς δύο υἱοὺς αὐτοῦ Ὕλλους ὀνομασθῆναι.

2) Phot. 245 H.

3) Strab. X, 458: aiunt dici Acheloum forma tauro similem, ut alia quoque flumina, ob flexus alveorum, qui cornua dicuntur. cf. O. Mueller Archaeol §. 403.

4) I, 35, 8.

cur suspicer, Hyllum eundem esse initio atque Hylan, Herculis amasium, qui cum in Bithynia aquatum ivisset, a Nymphis raptus est; scilicet existimo, tempore demum procedente et nomina et res esse discretas; quae sententia etsi copiosius demonstrari propter testimoniorum raritatem nequit, tamen firmamentis non prorsus caret. Quod enim primum ad nomen attinet, utramque formam et de filio et de amasio Herculis nonnullos e veteribus usurpasse docent[1]): Photius Bibl. p. 245 H vet. ex Ptolemaei historiis novis et Eudocia Viol. pag. 409. Theocr. Jd. XIII, 9. Hygin. fab. 271. Schol. Apollon. Rh. A. 1207[2]), ubi expressis verbis scriptum est: Ἀντικλείδης δὲ ἐν Δηλιακοῖς[3]) ἱστόρησεν οὐ τὸν Ὕλαν εἰς τὴν ὑδρείαν ἐξεληλυθέναι ἀλλὰ τὸν Ὕλλον. Transitum effecisse videtur forma huius nominis ab Ephoro exhibita: Hyllas, de qua videas Stephanum B. s. v. Δυμᾶνες, ubi Valesius quidem et Holstenius mutant in Ὕλλον, quod haud scio an errore factum sit. Dicebatur deinde Hylas aquam quaesivisse et ipse flumen vel lacus est[4]); sed et Hyllus, ut supra demonstravi, flumen est. Sunt igitur causae, cur Hyllum et Hylan non fuisse diversos putemus. Poterat fortasse prior forma ut graeca secerni ab Lydorum Hyla. Hylas autem mortuus ipse deus fit[5]), cui incolae Bithyniae prisco tempore diem festum agebant; antequam Graeci advenirent[6]) qui eum suis de Hercule commentis immiscuerunt. Quodsi igitur concesseris Hyllum primo eundem fuisse atque Hylan, et Hylli nomen ac res ex Lydorum fabulis ad Graecos venisse apparet. Ultimo loco id addendum habeo, consentaneum esse, quod Deianira, ut demonstravi, graeca sit Omphales imago, filium quoque ejus lydiae esse originis; haud igitur mireris, quod et ipsa Omphale Hylli mater appelletur[7]).

Imprimis autem in Trachiniam terram Lydorum fabulae congestae sunt. Jam diximus, in Oetae monte Herculem esse

---

1) Marx Ephor cum. fragm. p. 96 Anm.
2) cf. Nitsch, mythol. Wörtbch. s. v. Hylas.
3) ἐν τῇ β̄. cf. Schol. Apollon. Rh. A, 1289.
4) O. Mueller Orchomen. 288.
5) Schwenk in Mus. Rhen. XXIII, pag. 457.
6) O. Mueller Dor. I, 453.
7) Lactant. ad Stat. Theb. VIII, 507. cf. Heyn. Observ. ad Apollod. II, 7, 8. Itaque et Cleodaei Hylli filii nomen erat inditum patri Lydorum regis Croesi.

crematum; itaque montis caput *Φρυγία ὀφρύς* [1]) nominabatur; qua in appellatione certum inest memoriae vestigium, unde fabula orta sit. Nam id quidem, quod dicunt, hoc nomen esse inditum *παρὰ τὸ ἐκεῖ πεφρύχθαι τὸν Ἡρακλέα καυθέντα*, non opus est ut pluribus refutem. Commenta deinde, quae de Lityerse et de Syleo ferebantur, ad lydium Herculem spectare [2]) jam dudum in confessum venit. Neque autem facile quisquam lydiam originem fabulae, quam tradit Conon [3]) intellegeret, nisi alibi vera Lydorum fabula esset servata; non solum enim apud Cononem fabulae color mutatus, sed ipsa funditus immutata prorsusque alio modo tractata est. Cum enim fere consentiens antiquitatis sit fama, Sylea in Lydia vindemiatorem protervum, qui praetereuntes ut vitibis suis operam darent cogeret, ab Hercule Omphales jussu esse sublatum [4]), Conon dum refert, Sylea in Thessalia habitantem Dicaei fratrem hominem procacem ab Hercule esse occissum, pergit, a Dicaeo Herculem hospitio liberali exceptum Sylei filiae amore exarsisse, ita ut eam in matrimonium duceret; cum autem per longum tempus peregre esset, uxorem desiderio mariti esse consumptam; quod ubi Hercules audiisset, quin una cum uxore sese cremaret, vix ab adstantibus prohibitum esse. Priore et vera Lydorum fabella Syleus est in Lydia, posteriore a Conone relata in Thessalia; minime autem de duobus diversis hominibus cogitandum est [5]), sed iterum habemus exemplum mutationum, quas subeant fabulae cum a barbaris acceptae Graecis locis assignarentur; nam id quod Hercules dicitur sese ipse crematurus fuisse, videtur monere de Hercule Oetaeo. Cercopas deinde, quos in Meliensium finibus reperimus, natione Lydos esse, non est cur probare studeam. De Hercule Melampygo unum hoc dico, in eo rationem solis, cum minime absit, etiam facillime posse cognosci, neque autem cum Creuzero [6]) mihi persuadere possum, Melampygum esse solem hiberno tempore infirmum, qui quasi tergum opponat terrae; quin potius sol est post tergum noctem ferens; sic apud Homerum [7]) legitur:

1) Schol. Callim. ad Hymn. III. Arrian. apud Eustath. in Dionys. p. 107.
2) Preller, griech. Mythol. II, 159.
3) c. XVII.
4) Apollod. II, 6, 3 etc.
5) Heyn. observ. II, 6, 3.
6) Symbol. u. Mythol. II, 627.
7) Θ. 485 et 486.

ἐν δ' ἔπεσ' Ὠκεανῷ λαμπρὸν φάος ἠελίοιο,
ἕλκον νύκτα μέλαιναν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν.

Haec fere sunt, quae de Lydorum apud Graecos fabularum vestigiis dicenda habui. Mirum quidem videtur, eas Trachine potissimum sedem novam invenisse, quod ut explicetur, opus est ut testimonium eruditi scholiastae Apollonii Rh. afferam, quo non modo vetus quoddam commercium inter Trachinem et Asiam minorem fuisse, sed etiam Herculem cum colonia ex Mysorum finibus Trachinem venisse apparet. Dicit quidem [1]: *Τραχὶν πόλις Θεσσαλίας, ἔνθα τοὺς παῖδας τῶν Μυσῶν ἐνῴκισεν Ἡρακλῆς, ὅτε ἀντενέχυρα τοῦ Ὕλα ἐδέξατο αὐτούς* et deinde [2]: *ὅτι δὲ Κιανοὶ ὅμηρα ἔδοσαν Ἡρακλεῖ καὶ ὤμοσαν μὴ λήξειν ζητοῦντες Ὕλαν καὶ φροντίδα ἔχουσι Τραχινίων διὰ τὸ ἐκεῖσε κατοικισθῆναι ὑφ' Ἡρακλεῖ τοὺς ὁμηρεύσαντας, Κιναίθων ἱστορεῖ ἐν Ἡρακλείᾳ.*

De Euryto.

Sed ut ad Sophoclis Trachinias revertamur, jam de rege Oechaliae Euryto *ξανθῆς Ἰολείας* patre cogitemus. Homeri carmina quamquam fabulas Herculis, ut supra dixi, qua illo aevo fuerint amplitudine non omnes afferunt, in paucis tamen, quae commemorant, tradita pars quaedam nobis est fabulae Oechaliensis. Poëta enim Ulissem canentem facit [3]:

ἀνδράσι δὲ προτέροισιν ἐριζέμεν οὐκ ἐθελήσω
οὔθ' Ἡρακλῆϊ οὔτ' Εὐρύτῳ Οἰχαλιῆϊ
οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἐρίζεσκον περὶ τόξων.
τῷ ῥα καὶ αἶψ' ἔθανεν μέγας Εὔρυτος οὐδ' ἐπὶ γῆρας
ἵκετ' ἐνὶ μεγάροισι· χολωσάμενος γὰρ Ἀπόλλων
ἔκτανεν οὕνεκά μιν προυκαλίζετο τοξάζεσθαι.

Alio loco Odysseae [4]) Hercules Iphitum filium Euryti equos duodecim requirentem quamvis hospitem domi suae occidit. Fabulae autem cum tempore procedunt et exornantur miscunturque quum hominum sermonibus tum poëtarum studiis. Itaque in Sophoclis Trachiniis amplificatam immutatamque videmus fabulae Oechaliensis naturam [5]); manserunt autem linea-

---

1) *A*, 1355.
2) *A*, 1357.
3) *θ*, 223—228.
4) *φ*, 22—30. 36. 37.
5) Est quod doleamus Creophyli peculiare carmen *Οἰχαλίας ἅλωσιν* aetatem non tulisse. Suid. et Phot. Lex. s. v. *Κρεώφυλος*.

menta primaria, quae in Homeri jam carminibus adumbrata exstant. Accedit autem, quod Hercules non solum Iphiti hostis est, sed etiam, quod in quaestione quam sum instituturus multi est momenti, Euryti, quem Apollini quoque odio esse supra vidimus. Quas res cum deliberarem aliaque quae nobis carptim de Euryto traduntur accirem, orta mihi est suspicio, quam sum jam expositurus, Eurytum similiter atque Herculem ipsum primo solis vel lucis deum fuisse, belloque quod inter eos exarserit, certamineque, quo etiam Apollinem a sese superari praedicaverit Eurytus, nihil aliud significari atque Eurytum ab Hercule et Apolline de suo cultu dejectum. Itaque Euryti fabulam explicandam dico ad similitudinem de Hercule commenti, qui Delphis Apollini tripodem auferre conatur; qua in memorabili narratione alium sensum haud inesse, demonstravit E. Curtius[1]).

De nomine, ut ab etymologica ratione exordiar, magna hominum doctorum dissensione certatur. Prellerus[2]) ducit vocem ab adjectivo εὐρύς, cum alius quidam Eurytus, de quo infra agetur, frater appellatus sit Cteati, quod verbum cum κτέαρ cohaerens similem sensum praebere videtur. E. Curtius[3]) contra εὖ et ῥεῖν Euryti etymon esse arbitratur, cum plurimi alii — ut omittam Nitzschii εὖ — ῥύειν et quae sunt ceterorum somnia —, Ἔρυτος esse primariam formam rati[4]) nomen a verbo ἐρύω, tendere, scil. arcum deducunt; in quorum partes et ego transeo. Spectat igitur hoc nomen ad rem sagittariam. Qua nominis interpretatione propriam Euryti naturam optime significari, nemo non videt, quod et idem non minimum valet ad confirmandam meam sententiam; semper enim ubi Euryti mentio fit, clarus sagittarius appellatur et praedicatur; itaque alii ab Apolline ipso eum τέχνην τοξικὴν accepisse ferunt[5]), aliis Herculis est magister[6]); quin etiam alii Euryti Eurytionesque rei sagittariae periti fuisse traduntur[7]), quod iterum

1) Herakles der Dreifussräuber.

2) Griech. Myth. II, 165.

3) Peloponn. II. 134; sequitur eum Steinthal: Zeitschr. für Völkerpsychologie II, 140.

4) Invenitur Ἔρυτος pro Εὔρυτος: Apollon. Rh. A. 52. Pind. Pyth. IV, 319. Orph. 153. cf. Buttm. Lexil. I, 146. Welker. Ep. Cycl. I, 229.

5) Schol. Jliad. E, 392.

6) Theocr. XXIV, 106. Apollod. II, 4, 91.

7) Apollod. I, 9, 16. Hygin. fab. 14, 31, 173, 273.

comprobat nominis etymologiam a nobis receptam. Neque vero solus Eurytus clarus est sagittarius, sed fere tota ejus gens hanc arcus laudem tulit; itaque Melaneus Euryti pater arcu et sagittis adeo praestans erat, ut et ipse ab Apolline doctus esse traderetur. Ad idemque referri debet, quod ex filiis Euryti unus Τοξεύς erat appellatus [1]), quin etiam Iphitus magnam sibi in re sagittaria gloriam comparavit; concessa enim ab Apolline sagittarum scientia cum auctore muneris contendisse dicitur [2]). — Sed haec fortasse minus ad rem. Jam igitur ad id recurro, quod supra dixi, et Apollini et Herculi arcum sagittasque tribui eo, quod solis radii imagine sagittarum exprimebantur; id quod etiam Euryto vindicaverim. Arcu potissimum Herculis Troia eversa est, Euryti arcu, quam ab Iphito Ulisses acceperat, die festo Apollinis proci procaces interfecti sunt [3]).

Verum sunt et alia disjecta quidem at expressa vestigia, quae collata veri similiorem meam sententiam reddere videantur. Quae jam in medium proferri licet.

Oechalia urbs, de cujus primario situ in sequentibus exponam, semper in eis locis fuisse dicitur, ubi Apollinem Carneum esse cultum tradunt i. e. deum solis [4]). Legitur igitur apud Pausaniam [5]): *παρὰ τοῦτον* (scil. *Περιήρην*) *ἀφίκετο, ὡς οἱ Μεσσήνιοί φασι, Μελανεὺς τοξεύειν ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ διὰ τοῦτο Ἀπόλλωνος εἶναι νομιζόμενος. καὶ οἱ τῆς χώρας τὸ Καρνάσιον τότε δὲ Οἰχαλίαν κληθεῖσαν ἀπένειμεν ὁ Περιήρης ἐνοικῆσαι.* Et infra [6]): *Διαβάντι δὲ τούτους πεδίον ἐστὶν ὀνομαζόμενον Στενυκληρικόν· εἶναι δὲ ἥρωα Στενύκληρον λέγουσι. Τοῦ πεδίου δὲ ἐστιν ἀπαντικρὺ καλουμένη τὸ ἀρχαῖον Οἰχαλία, τὸ δὲ ἐφ' ἡμῶν Καρνάσιον ἄλσος, κυπαρίσσων μάλιστα πλῆρες. Θεῶν δὲ ἀγάλματα Ἀπόλλωνός ἐστι Καρνείου καὶ Ἑρμῆς φέρον κριόν· ἡ δὲ Ἁγνὴ Κόρης τῆς Δήμητρός ἐστιν ἐπίκλησις· ὕδωρ δὲ ἄνεισιν ἐκ πηγῆς παρ' αὐτὸ τὸ ἄγαλμα. Τὰ δὲ ἐς τὰς Θεὰς τὰς μεγάλας, δρῶσι γὰρ καὶ ταύταις ἐν Καρνασίῳ τὴν τελετήν, ἀπόρρητα ἔστω μοι· δεύτερα γάρ σφισι νέμω σεμνότητος μετά γε Ἐλευσίνια. Ὅτι δ' ὑδρία τε ἡ χαλκῆ τὸ εὕρημα τοῦ Ἀργείου στρατηγοῦ καὶ*

1) Schol. Hesiod. fragm. 70.
2) Hygin. fab. 14.
3) Odyss. φ 11 sq.
4) Preller, II, 156.
5) IV, 2, Ω.
6) IV, 33, 4.

Εὐρύτου τοῦ Μελανέως τὰ ὀστᾶ ἐφυλάσσετο ἐνταῦθα δηλῶσαι με καὶ ἐς ἅπαντας οὐκ ἀπεῖργε τὸ ὄνειρον. Loci sane quam maxime notabiles! Quod primum loco priore ob artis sagittariae excellentiam Melaneus ab Apolline genitus credebatur, Eurytusque ideo Apollinis nepos fit, affinitatem quandam naturae indicari, colligi potest. Neque fortuito Euryti sedem tempore recentiore Apollini dicatam esse, probat locus posterior. Ubi enim Carneus Apollo [1], qui est deus solis vi sua vitam exstinguentis eaque de causa saepius conjunctus cum diis inferis una cum dearum magnarum initiis celebrabatur ritu quam sanctissimo, ibi Euryti ossa ostendebantur, qua re nihil aliud significari potest ac: cum antea his in locis Eurytum potissimum deum coluissent incolae, postea Apollinis cultum ei successisse. Quapropter verisimile est, ut ego arbitror, discrimen magnum inter utrumque intercedere non posse. Ceterum Euryti ossa religionis causa haud dubie servata monent de Herculis ossibus, quae Gadibus esse putabantur, nimirum quod solis occasus ultimo in occidente est. Haud spernendi momenti deinde hoc aliud testimonium esse videtur: ut Molorchus Herculi ad primum ei ab Eurystheo impositum laborem exeunti promittit, *ἂν μὲν ἀπὸ τῆς θήρας σῶος ἐπανέλθῃ, Διὶ Σωτῆρι θύειν, ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ, τότε ὡς ἥρωι ἐναγίζειν* [2], ita et Euryto Sybotae jussu ante magnarum dearum initia Oechaliae parentatur [3]; heros igitur factus est, quod ipsum egregio meae conjecturae est firmamento.

Sed huc ubi perventum est, aliam mihi proponere conjecturam liceat. Esse videntur causae, quibus Melanei filium probari possit principio eundem fuisse atque Eurytum Actoris filium, cui in Elidis recessibus Hercules insidias parabat indigne ferens in Augeae bello eum contra se pugnasse [4]. Actor enim erat frater Augeae, i. e. fulgentis, quod nomen iterum ad lucem pertinere, unusquisque videt; itaque nonnulli dicunt, Augean Solis filium fuisse [5]; pater deinde Euryti Oechaliensis erat Melaneus, Euryti autem filii Actoris matri nomen erat

1) cf. Preller, I, 163.

2) Apollod II, 5, 1.

3) Paus. IV, 3, 10. *θύειν* dicunt deo, *ἐναγίζειν* heroi cf. Herod. II, 44: *τῷ μὲν ὡς ἀθανάτῳ Ὀλυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην θύουσι, τῷ δ' ἑτέρῳ ὡς ἥρωι ἐναγίζουσι.*

4) Paus. II, 15, 1.

5) Hygin, 14

Moliones [1]) unusque ex filiis Euryti Oechaliensis Molion [2]) appellabatur. Addamus etiam, Actoris filio ex Therophone Thalpium esse natum, quod nomen nescio quo modo me admonet Sophoclei dicti: οὐ θάλπος θεοῦ οὐδ' ὄμβρος [3]) Cum denique ei rei nimis multum tribuere nolim, quod uterque Eurytus ortus est patre immortali — nam saepius non Actor, sed Neptunus ex Molione Eurytum genuisse dicitur — sed matre mortali, id attendendum, Eurytum et Eurytionem unum idemque nomen esse duplici forma; itaque scholiasta ad Lycophr. 175 pag. 25 priore loco, ubi ex Pherecyde narrat, *Εὔρυτον* praebet, mox autem *Εὐρυτίωνα* (videas ceterum Heyn. Observ. III, 13, 1); simili enim ratione utraque forma mutabatur, ut Jasus et Jasion, Icarus et Icarion [4]); modo igitur Actoris filius appellabatur Eurytos, modo Eurytion [5]); quocirca haud scio an recte hoc loco laudem illum Geryonis armentorum pastorem ab Hercule interfectum, cui nomen Eurytionis [6]) erat; boves autem ejus rubro colore [7]) erant, et ab ipsis veteribus Solis fuisse dicebantur.

Sed haec missa faciamus; Actoris filius cum alius et diversus esse tradatur ab Oechaliensi Euryto, multis tamen rebus ad solem spectare consentaneum est; quod et Norkii audax quidem sententia probare studet, Molionidas solis curru vehi [8]). Ex omnibus autem quae disputavi collatis, quantulacunque ob testimoniorum penuriam sint, id probasse mihi videor, fabula Oechaliensi nihil aliud celebrari, nisi pugnam quandam, qua a recentiore lucis numine Eurytus de dignitate sua dejectus sit.

Ultimo loco, ut supra promisi, de Oechaliae situ quid ipse sentiam, exponam; ubi enim haec Euryti patria fuerit sita, certamen est jam usque ab veteribus ductum temporibus; quamobrem scripsit Strabo [9]): *ζητοῦσι καὶ μάλιστα τίς ἦν ἡ ὑπὸ Ἡρακλέους ἁλοῦσα καὶ περὶ τίνος συνέγραψεν ὁ ποιήσας τὴν Οἰχαλίας ἅλωσιν.* Atqui quinque urbium hujus nominis,

1) Apollod. II, 7, 2.
2) Diod. IV, 37.
3) Trachin. 144.
4) cf. Hemsterh. ad Aristoph. Plut. pg. 207.
5) cf. Ersch u. Grub. s. v. *Εὐρυτίων*.
6) Apollod. II, 5, 10
7) Schol. Odyss. μ, 301.
8) Mythol. Realwörterbuch cf. Iliad. ψ, 638.
9) IX, 437.

quas Strabo [1]) enumerat, tres imprimis Euryti urbem fuisse, testimonia vetustissima tradunt. Thessaliae urbs Homeri auctoritatem prae se ferre videtur [2]), quamquam O. Muellerus jam apud Homerum dubitationem esse, verisimile reddit [3]). Secundum ea quae in antecedentibus disputata sunt arbitror, nullam earum urbium quae se Euryti patrias fuisse velint a vero aberrare, cum in omnibus heros Eurytus coleretur; primam autem, quae Euryti interitum in Herculis fabulis intexuerit, quaerendam esse in Messenia, non in Thessalia; plura enim in Oechaliensi fabula occurrentia nomina inveniuntur non in ipsa quidem Messenia, tamen in Messeniorum finium vicinitate. Deinde et Iphitum, quem Hercules Elide [4]) occidit, quamquam quis fuerit non satis clarum esse arbitrantur homines docti narratioque ipsa obstare videtur [5]), Euryti filium esse dico, quod et nomen et res congruunt aliaque Oechaliensis fabulae vestigia his regionibus impressa videntur. Fortasse igitur Apollodorus, qui diversos sequitur auctores, antiquiorem hic laudavit fabulam. Poterit ceterum haud dubie disquisitio diligentius instituta inter Thessalorum et Messeniorum populos circa utramque Oechaliam habitantes affinitatem quandam exstitisse demonstrare, cum et alia nomina ut Tricca, Ithome in utraque regione inveniantur [6]).

---

1) X, 448.

2) β, 730.

3) Dor. I, 417 et Prolegg. 18; sagaci ratione id eruit vir doctissimus; fortasse tamen quod Faesius ad φ, 15 adnotavit, Muellero opponi possit.

4) Apollod. II, 6, 1.

5) Apollod. II, 6, 2.

6) Mueller, Dor. I, 417.